



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Sectio Tertia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

SPECVLI VANITATIS
SECTIO TERTIA.
ECCLESIASTES.

VERS. 8. Quid habet ampliùs sapiens à stulto? &
quid pauper, nisi vt pergat illuc, vbi est vita?

METRICA PARAPHRASIS.

ODI ventriculi mancipia & cutis,
Nautas symposij, & remigio improbo
Damnatos calicum, sola quibus sapit
Ferclis luxurians mensa superfluis,
Queis vita in patinis seruet, & ignea
Vis mentis Bromij mergitur amphoris.
Non tali sapiens exacuit famem,
Aut nutrix sophie pauperies, dape:
Nec virtus humili polluitur luto:
Sed pennis superans præpetibus vagos
Tractus Æolidum & nimbisoni Iouis,
Infert auricomis sideribus caput,
Æternique Patris se gremio inserit,
Vt vita liceat munere perfrui,
Quam non tela necis, non fuga temporum, aut
Annorum series innumerabilis,
Non præses Lachesis lanifica colus
Fato subruere, aut immemori queat
Busto posteritas inuida condere.
Iamque è stelliferis indigetum arcibus
Despectans humiles terrigenum casus,
Ridet quas stolidi suspiciunt opes:
Ridet velinolis aquora puppibus
Contracta, & spoliis Antipodum graues

Pinus,

Pinus, sollicitus quas regit insitor,
Exsanguis toties, quot furus Noti,
Aut flabris Boreæ pontus inhorruit.
Ridet quos Cybeles visceribus diem
Exosos piceo nox sepelit specu,
In lucem ut referant fulua pericula,
Quæ styx furua sinu reclusus occultit.
Nec sortis nimie velificat spei,
Aut Numen precibus poscit emacibus,
Desponsa ut tumeat dote proteruior
Fortuna, aut variis crescat honoribus:
Sed faustis populi plausibus altior,
Splendescit proprio sidere pulchrius;
Humanasque vices sub pedibus premens,
Fortuna dominam se ancipitis probat,
Amplas ipsa sibi sufficiens opes,
Lautas ipsa sibi delicias parans,
Contracto melius pasta cupidine.
Hanc tu, cum impulerit dira necessitas,
Supremumque diem fata recluserint,
Non fletu decores, aut laceris comis,
Non cippo, aut apio, aut carmine præficæ,
Non totus sapiens tristibus occubat
Umbris, aut tumuli margine clauditur;
Sed ritu Pharij prorogat alitis
Annos è cinerum fraude superbior.
Queris quo tumuli margine sepias
Virtutem? patuli da spatium poli.

RECTE atque ordine facit Ecclesiastes, cum damnatis auaritiæ studiis, animos nostros à terrâ ad cælum, ab his fluxis & caducis ad stabilia, à perituris ad æterna traducit: sed dum sapientiam paupertati copulat, vereor ne vnâ manu ad virtutem inuitet, alterâ repellat. Vt enim votis omnibus experenda virtus, ita diris omnibus deuouenda paupertas plerisque hominum videtur. Enimuero non paucos accepimus per saxa, per ignes, per immensos Oceani tractus ad Indos vsque & lapponios fugisse paupertatem. Sed si quis ratione potius, quàm vulgi opinione, rerum momenta expendat, neque pudendam iis paupertatem iudicabit, qui ad dignitatem omnia referunt, nec iis qui lucris intenti sunt, repudiandam. Certè nec C. Fabricio, nec Cn. Scipioni, nec M. Curio probro datum est, quòd eorum filia ob paupertatem dote de publico acceptâ ad maritos ierunt, gloriam domesticam, pecuniam publicam portantes. Quin imò ex ipsis opulentioribus eos potissimum plerique venerantur, qui nullo strepitu, modico cultu, dissimulatis facultatibus, modestiæ speciè paupertatis imitatione mutuuntur. Quòd si diuitibus ad opinionem modestiæ & venerationis conciliandam, quaeritur imago quædam colorque paupertatis, quàm stultum est, hanc ipsam minimè adumbratam, sed veram ac genuinam probro vertere? Itaque qui peram ac baculum, paupertatis insignia, Philosophis exprobrat, ait quidam, is tantumdem facit, ac si equitibus phaleras, peditibus clypeos, signiferis vexilla, ac denique triumphantibus quadrigas albas togamque palmatam vitio vertat. Hoc enim Philosophis pera & baculus,

*Paupertas
nemini pro-
bro esse
debet.*

*Apuleius in
Apologiâ.*

culus, quod Regibus diadema, quod Imperatoribus paludamentum.

Itaque hunc pudoris scopulum præteruecti ostendamus summâ ratione Ecclesiasten sapientiæ ac paupertatis vela ad veræ laudis ac melioris vitæ portum petendum iunxisse. Semper enim amica fuit sapientiæ Paupertas amica Sapientia. paupertas; & (quod Ithacæ tribuitur) dura quidem, sed insignis animorum nutritrix, quæ mellea virtutis ac sapientiæ præcepta hominibus instillat. Et vt acanthis in spinis habitans, summâ tamen suauitate cantus in animos influit, sic illa rebus asperis enutrita suauissima tamen vitæ documenta subministrat. Aelianus lib. 10. cap. 32.

Scitum est illud antiquorum, in regno voluptatis virtuti locum esse non posse. Eadem mihi videtur de diuitiis pronuntianda sententia. Multis enim ad philosophandum obstitere diuitiæ: paupertas semper expedita est. Fortunam, velut tunicam, magis concinnam quàm longam probant vitæ Magistri: si enim longior æquo fuerit, tametsi in sinum colligatur, aliqua tamen eius propendens lacinia ingredientem impedit, ac præcipitem dabit. Itemque magnas opes instar ingentis ac enormis gubernaculi suspectas habent, quæ nauem citius mergant, quàm regant: cum copia sit illis superflua, excessus perniciosus. Non ignorauit hoc Crates, inter Thebanos inprimis copiosus ac nobilis: Magna opes obsunt philosophia. qui philosophicæ paupertatis amore rem familiarem largam atque vberem populo distribuit, seruisque manumissis, solitudinem elegit: arbores multas ac fructiferas præ vno baculo spreuit: villas opulentissimas vnâ perulâ permutauit, quam postmodum, compertâ eius vtilitate, carmine laudauit, flexis ad hoc Homericis versibus, quibus ille Cretam insulam nobilitauit. Apuleius in Apolog.

Vidit hoc etiam, si animo vacare vellet, aut pauperem esse oportere, aut pauperi similem; neque enim sine frugalitatis curâ salutare studium posse consistere. Itaque quod tutissimum erat elegit, & spontaneâ necessitate omnes à se cupiditatum illecebras abdicavit, & ad honestam paupertatem, tamquam ad virtutum omnium gymnasium se transtulit.

Hoc enim aut simili elogio veteres omnes Philosophi paupertatem ornarunt. Inter quos Madaurensis ille Platonius, Paupertas, inquit, olim Philosophiæ vernacula (matrem potius aut nutricem dixerim) aduersum diuitias possessa est, frugi, sobria, cultu simplex, consilio benefuada: neminem vmquam superbiâ inflauit, neminem impotentiâ deprauauit, neminem tyrannide efferauit. Quemcumque in aliquâ laude miramur, cum paupertas ab incunabulis nutrita est. Paupertas, inquam, priscais sæculis omnium ciuitatum conditrix, omnium artium repertrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes perfuncta. Eadem enim est paupertas in Aristide iusta, in Phocione benigna, in Epaminondâ strenua, in Socrate sapiens, in Homero diserta.

Paupertas à Christianis magis culta.

Hæc paupertatis cum virtute ac scientiâ necessitudo, paucis olim inter Ethnicos comperta, plerisque Christianorum nunc est exploratissima: postquam Deus-homo, vitæ normam hominibus ostendens, illa æterni Dei scientia, illa virtutum idea, ille perfectionis apex, inter tot mundi opes, aut veriùs suas, paupertatem amplexus est. Exinde Philosophia hæc hominibus innotuit, nihil esse quod vitiiis acrius bellum indicat, quàm paupertatem. Euertit enim penitusque proffigat arrogantiam, fastum, superbiam, luxum, libidines, aliæque

que non pauca, quæ ex abundantia, tamquam fumus ex igne, manare consueuerunt: & felicem quamdam necessitatem adfert bene beateque, id est secundum naturam virtutemque viuendi.

Nec in præsens tantum consulit, sed etiam remotis ^{Paupertas iter sternit ad æternam beatitudinem.} obstaculis homini ultra præsentis vitæ limites cogitationes suas extendenti iter expeditum reddit & complatum, ^{vt pergat illuc ubi est vita.} Est enim paupertas, teste Climacho, abdicatio sollicitudinû sæculi, iter ad Deum sine impedimento; expulsio omnis tristitiæ, fundamentum pacis, munditia vitæ, quæ nos liberat curis omnibus vitæ transeuntis, & facit vt Dei mandata perfectè exequamur. Itaque & spiritualem animæ vitam fouet in terris, & æternam despectus sui pretio comparat in cælis. In terris quidem vitæ spirituali consulit, dum nocitura remouet, & eam, quæ ex opum affluentia germinare solet, luxuriam castigat. Sic enim se res habet, vt quemadmodum mortuæ carnes, ne propter humorum abundantiam putrescant, sale adperso exsiccantur; sic eadem caro viuens, nisi seueritate paupertatis & abstinentiæ, quasi siccitate quadam castigetur, in molliem luxumque diffuat. Nec id mirum, cum tanta sit carnis animæque coniunctio, vt alterius vitiis altera coinquinetur, & vt ait Basilius, vigente ac florente carne ^{Basilius Orat. 1. de Ieiunio.} spiritus etiam in brutum carnemque degeneret. Huic igitur incommodo sic occurrit paupertas, ait Chrysostomus, vt per sobrietatem humeris alas, & pedibus talia nectat, quibus & à terrâ efferri, & sublimia contemplatione consequi possit. ^{Chrysost. Hom. 1. in Genesin.}

Quod autem paupertatis pretio æterna vita comparatur, ex hac Christi voce manifestum est: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnû calorum.* Magna profectò Chri-

Matth. 5, 3.

Augustinus
Ser. 18. de
Verbis A-
post.

Christianorum felicitas, ait D. Augustinus, quibus datum est, ut paupertatem faciant pretium regni caelorum. Ne tibi displiceat paupertas tua: nihil eam ditius inueniri potest. Vis nosse, quam locuples sit? Caelum emit. Quibus hoc thesauris conferri poterit, quod paupertati indultum videmus? Ut ad regnum caelorum veniret, diues possessione sua obtinere non potuit: nunc obtinet, ut eadem contemptam perueniat. Huc nobis collimandum est, si verae sapientiae candidati esse volumus. haec nobis debet esse summa votorum, alioqui si vagis per noxia & inexplorata cupiditatibus obsecuti fuerimus, nullum votorum nostrorum actionumque scopum reperiemus, nihil in quo desiderium nostrum animusque conquiescat; sed ex alio in aliud incerti ac nauseabundi prouoluemur, non absimiles otiosis illis & oscitabundis, qui coruos passim testaque lutoque persequuntur. Perstringit illos Ecclesiastes mox versu sequenti.

SECTIO QUARTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 9. Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias. sed & hoc vanitas est, & praesumptio spiritus.

METRICA PARAPHRASIS.

QVAM *pragnans hominum turba petacibus*
Votis, noui cupidinis
Semper parturiat monstra recentia,
Nec expleat diram sitim,

Testan-